



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tora nevi'im u-ketuvim

Leusden, Johannes

Amstelodami, 1667

Judicium Professorum S. Theologiæ in Academiâ Ultrajectina, de novâ hâc
editione Bibliorum Hebraicorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39406



Judicium Professorum

S. Theologix in Academiâ

ULTRAJECTINA,

de novâ hâc editione Bibliorum Hebraicorum.

Lectori benevolo S.

IT E R I S ad nos datis , serìo rogavit vir egregius
atq; industrius Joseph Athias, natione Iudæus, ar-
te Typographus ; ut , quemadmodum priorem SS.
Veteris instrumenti Bibliorum editionem Hebrai-
cam , ab ipso ante sexennium adornatam, tunc Fa-
cultas nostra à singulari curâ & diligentia commendavit ; sic de
hâc iteratâ eorundem Bibliorum editione nostrum quoque judicium
ferremus. Honestæ isti petitioni obsequentes , testamur quod com-
pertum habemus. Sæpius antehâc ex Clariß. Collegâ nostro D. Jo-
hanne Leusden , Linguae Hebraicæ in Academiâ hâc Ultraje-
ctinâ Professore dignissimo ac meritissimo , audivimus , quomo-
dò ipso auctore suscepta fuerit nova hâc editio ; quâ se-
dulitate opus perageretur ; quibusque subsidiis & commoditatibus ,
in gratiam lectorum , supra omnes priores editiones Hebraicas , ut potè
non solum singulorum librorum titulis Latino idiomate passim præ-
fixis , sed & rerum enarratarum lemmatibus ad marginem adjectis ,
atque accuratissimis observationibus & notis criticis , adornaretur ;
(quæ omnia laudatus Collega noster in suâ Præfatione diligen-
ter recensuit) : sicut idem Collega specimina quædam præclari illius
operis aliquoties etiàm nobis exhibuit ; quin & sententiam nostram de
quibusdam dubiis interdùm rogavit. Prælo autem ad finem operis de-
currente , majores ejus partes nobis communicatæ sunt ; quas studiose
lustravimus , & ex singulis ferè capita aliquot accurate perlegimus :

qua-

quoniām tunc temporis brevitas, & aliorum negotiorum multitudo,
non permisit omnia similiter perlegere atque expendere. Interim p̄ae-
claram in hoc opere perficiendo industriam, ac laborem indefessum, non
possimus non laudare: sic enim factum deprehendimus, ut non solum
aliorum editiones plurimas, sed & suam priorem h̄ac iteratā supera-
verit vir egregius. Atque hoc nomine non dubitamus eam studiosis
lectoribus de meliore notā commendare: D E O Opt. Max. suppli-
cantes, ut ea multorum salutari instructioni serviat, tūm Christiano-
rum, tūm Iudæorum; imò ut his in sedula istius operis lectione ac me-
ditatione, aliorumque mediorum convenienti usū, tandem detur vi-
dere Dominum gloriæ, & (quod optant Correctores Iudæi ad cal-
cem sui Prologi) Regem sedentem in throno Davidis. Ita teſtamur,
judicamus, vovemus, qui

Dabamus Ultrajecti, Prid. Non. Mai.

A. D. CIC XC LXVII.

Gisbertus Voetius, Theol. D. & Prof.

Andreas Esselius, Theol. D. & Prof.

Franciscus Burmannus, Theol. D. & Prof.

